C. CRISPI X SALLUSTII

BELLUM CATILINARIUM

In Ordinem Conſtructionis redactum.

In USUM SCHOLARUM.

LONDINI:
Impenſis AUTHORIS: Proſtant venales apud G. HAWKINS. 1745.

BRITISH MUSEUM
30 APR 72

PREFACE.

AS it is quite unneceſſary to ſay any Thing to recommend *Salluſt* to the learned World, either as an Hiſtorian or *Roman* Claſſic; ſo neither ſhall I make any Apology for the Manner in which he appears in Publick. I only deſire the Scholar, for whoſe Sake I have thus employ'd my leiſure Hours, and I hope to his Advantage, to read this lit-

BRITISH MUSEUM
30
72
APR

PREFACE.

AS it is quite unneceſſary to ſay any Thing to recommend *Salluſt* to the learned World, either as an Hiſtorian or *Roman* Claſſic; ſo neither ſhall I make any Apology for the Manner in which he appears in Publick. I only deſire the Scholar, for whoſe Sake I have thus employ'd my leiſure Hours, and I hope to his Advantage, to read this lit-

tle Book thrice, with the Help of a Dictionary, a Tranſlation, or good Maſter; and he will then make a very proper and profitable Uſe of the pure Text of the Author himſelf.

C. CRISPI

C. SALLUSTII CRISPI

BELLUM CATILINARIUM

ORDO.

DECET omnis homines, qui ſtudent ſeſe præſtare cæteris animalibus, niti ſummâ ope, ne tranſeant vitam ſilentio, veluti pecora, quæ natura finxit prona atque obedientia ventri. Sed omnis noſtra vis eſt ſita in animo et corpore. Magis utimur imperio animi, ſervitio corporis. Alterum eſt commune nobis cum Diis, alterum cum belluis. Quo videtur mihi rectius quærere gloriam opibus ingenii, quàm virium; et, quoniam vita ipſa, qua fruimur, eſt brevis, efficere memoriam noſtri quam maxume longam. Nam gloria divitiarum et formæ eſt fluxa atque fragilis; virtus habetur clara æternaque. Sed diu fuit magnum certamen inter mortales; ne militaris res procederet magis vi corporis, an virtute animi. Nam et, priuſquam incipias, *eſt opus* conſulto; et, ubi conſulueris, eſt opus facto maturè: Ita utrumque, indigens per ſe, eget, alterum auxilio alterius.

2. Igitur initio diverſi reges, (nam id fuit primum nomen imperii in terris) exercebant, pars ingenium, alii corpus. Etiam tum vita hominum agitabatur ſine cupiditate: ſua ſatis placebant cuique. Verò poſtea quam in Aſiâ Cyrus, in Græcia Lacedæmonii et Athenienſes cœpere ſubigere urbes atque nationes; habere lubidinem dominandi cauſam belli; putare maxumam gloriam in maxumo imperio: tum

demum est compertum periculo atque negotiis, ingenium posse plurimum in bello. Quod si virtus animi regum atque imperatorum valeret ita in pace, ut in bello; humanæ res haberent sese æquabiliùs atque constantiùs: cerneres neque aliud ferri aliò, neque omnia mutari ac miscerí. Nam imperium facile retinetur iis artibus, quibus est partum initio. Verùm, ubi pro labore desidia, pro continentia et æquitate, lubido atque superbia invasere, fortuna immutatur simul cum moribus. Ita imperium semper transfertur ad quemque optumum ab minus bono. Omnia, quæ homines arant, navigant, ædificant, parent virtuti. Sed multi mortales, dediti ventri atque somno, indocti, incultique, transivere vitam sicuti peregrinantes: quibus profectò, contra naturam, corpus fuit voluptati, anima oneri. Ego æstumo eorum vitam mortemque juxta; quoniam silétur de utraque. Verum enimvero is demum videtur mihi vivere, et frui anima; qui, intentus aliquo negotio, quærit famam præclari facinoris, aut bonæ artis. Sed in magnâ copiâ rerum, natura ostendit aliud iter alii.

3. Est pulchrum facere bene reipublicæ: etiam dicere bene haud est absurdum. Licet, *virum* fieri clarum vel pace, vel bello. Multi laudantur, et qui fecere, et qui scripsere facta aliorum. Ac, quidem tametsi par gloria haudquaquam sequatur scriptorem et auctorem rerum, tamen videtur mihi in primis arduum scribere res gestas: primùm, quòd facta sunt exæquanda dictis; dein, quia plerique putant dicta, quæ reprehenderis, *esse* dicta malevolentiâ et invidiâ. Ubi memores de magnâ virtute et gloriâ bonorum, quisque accipit *ea* æquo animo, quæ putat facilia sibi factu: *sin* supra, ducit *ea* veluti ficta pro falsis. Sed ego adolescentulus initio, sicuti plerique, sum latus studio ad rempublicam: ibique multa fuere advorsa mihi. Nam, pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. Quæ tametsi *meus* animus aspernabatur, *adhuc* insolens malarum artium; tamen, *mea* imbecil-

la ætas, corrupta ambitione, tenebatur inter tanta vitia. Ac, cùm dissentirem ab reliquis malis moribus, nihilominus eadem cupido honoris, fama atque invidia, quæ *vexabat* cæteros, vexabat me.

4. Igitur, ubi animus requievit ex multis miseriis atque periculis, et decrevi reliquam ætatem habendam mihi procul à republicâ; non fuit consilium conterere bonum otium socordiâ atque desidiâ: neque vero intentum servilibus officiis, agere ætatem colendo agrum, aut venando: sed à quo incœpta studioque mala ambitio detinuerat me, regressus eodem, statui perscribere gestas res Romani populi strictim, uti quæque videbantur digna memoriâ: magis eo, quòd erat mihi animus liber à spe, metu, et partibus reipublicæ. Igitur absolvam paucis *verbis* de conjuratione Catilinæ, quàm verissimè potero. Nam ego existumo id facinus in primis memorabile, novitate sceleris atque periculi. De moribus cujus hominis pauca sunt explananda priùs, quàm faciam initium narrandi.

5. Lucius Catilina, natus nobili genere, fuit magnâ vi et animi et corporis; sed malo pravoque ingenio. Intestina bella, cædes, rapinæ, civilis discordia, fuere grata huic ab adolescentiâ; ibique exercuit suam juventutem. Corpus *erat* patiens inediæ, algoris, vigiliæ, supra quàm est credibile cuiquam. Animus *erat* audax, subdolus, varius, simulator ac dissimulator cujuslibet rei, appetens alieni, profusus sui, ardens in cupiditatibus: *habuit* satis eloquentiæ, parum sapientiæ. Vastus animus semper cupiebat immoderata, incredibilia, nimis alta. Maxuma lubido capiundæ reipublicæ invaserat hunc, post dominationem Lucii Sullæ: neque, dum pararet regnum sibi, habebat quidquam pensi, quibus modis adsequeretur id. Ferox animus agitabatur magis magisque indies inopiâ familiaris rei, et conscientiâ scelerum: utraque quæ auxerat his artibus, quas memoravi suprà. Præterea corrupti mores civitatis incitabant *eum*: quos *mores hæc* pessuma mala, ac diversa inter se, luxuria atque avaritia vexabant.

vexabant. Res ipsa videtur hortari, quoniam tempus admonuit de moribus civitatis, repetere suprà, ac differere paucis *verbis* instituta majorum domi militiæque, quomodo habuerint rempublicam, quantamque reliquerint *eam*; et, ut *ea* paulatim immutata, ex pulcherrumâ et optumâ, sit facta pessuma ac flagitiosissuma.

6. Trojani, initio, condidere atque habuere urbem Romam, sicuti ego accepi: qui *Trojani*, Æneâ duce, profugi, vagabantur incertis sedibus; cumque his, Aborigines, agreste genus hominum, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. Postquam hi convenere in una mœnia, dispari genere, dissimili linguâ, viventes alius alio more, est incredibile memoratu, quàm facilè coaluerint.

Sed postquam res eorum, aucta civibus, moribus, agris, videbatur satis prospera, satisque pollens; sicuti pleraque mortalium habentur, invidia est orta ex opulentiâ. Igitur finitimi reges populique *cœpere* tentare *eos* bello. Pauci ex amicis esse auxilio. Nam cæteri, perculsi metu, aberant à periculis. At Romani, intenti domi militiæque, *statuere* festinare, parare, hortari alius alium, ire obviam hostibus, tegere libertatem, patriam, parentesque armis. Post, ubi propulerant pericula virtute, portabant auxilia sociis atque amicis; parabantque amicitias magis dandis quàm accipiundis beneficiis. Habebant legitimum imperium, regium nomen imperii. Delecti *viri*, quibus erat corpus infirmum annis, ingenium validum sapientiâ, consultabant reipublicæ. Hi appellabantur patres; vel ætate vel similitudine curæ. Post, ubi regium imperium, quod initio fuerat *constitutum causa* conservandæ libertatis atque augendæ reipublicæ, convertit in superbiam dominationemque, more immutato, fecêre sibi annua imperia, binos imperatores. Eo modo putabant humanum animum minumè posse insolescere per licentiam.

7. Sed eâ tempestate cœpere quisque extollere se magis magisque, habereque ingenium in promptu.

Nam

Nam boni sunt suspectiores regibus quàm mali; semperque aliena vis est formidolosa his. Sed est incredibile memoratu, quantum civitas creverit brevi *tempore*, adepta libertate: tanta cupido gloriæ incesserat. Jamprimùm juventus, simul ac erat patiens belli, discebat militiam usu per laborem in castris; habebatque lubidinem magis in decoris armis, et militaribus equis, quàm in scortis atque conviviis. Igitur talibus viris non *erat ullus* labos insolitus, non erat ullus locus asper aut arduus, armatus hostis non formidolosus: virtus domuerat omnia.

Sed erat maxumum certamen gloriæ inter ipsos. Quisque properabat ferire hostem, adscendere murum, conspici, dum faceret tale facinus. Putabant eas divitias, eam bonam famam, magnamque nobilitatem. Erant avidi laudis, liberales pecuniæ. Volebant ingentem gloriam, honestas divitias. Possem memorare in quibus locis Romanus populus fuderit maxumas copias hostium parvâ manu, quas urbes, munitas naturâ, ceperit pugnando; ni ea res traheret nos longius ab incœpto.

8. Sed profectò fortuna dominatur in omni re. Ea celebrat obscuratque cunctas res ex lubidine magis, quàm ex vero. Gestæ res Athenienſium, sicut ego existumo, fuere satis amplæ magnificæque: verùm tamen aliquanto minores, quàm feruntur famâ. Sed quia magna ingenia scriptorum provenere ibi, facta Athenienſium celebrantur pro maxumis per orbem terrarum. Ita virtus eorum, qui fecere ea, habetur tanta, quantum præclara ingenia potuere extollere ea verbis. At numquam fuit ea copia Romano populo: quia quisque prudentissimus erat maxumè negotiosus. Nemo exercebat ingenium sine corpore. Quisque optumus, malebat facere, quàm dicere; sua bene facta laudari, quàm ipse narrare *facta* aliorum.

9. Igitur boni mores colebantur domi militiæque. Concordia erat maxuma, avaritia minuma. Jus bonumque valebat apud eos non magis legibus quàm naturâ. Exercebant jurgia, discordias, simultates

tates cum hostibus. Cives certabant cum civibus de virtute. In suppliciis deorum erant magnifici, parci domi, fideles in amicos. His duabus artibus, audaciâ bello, æquitate, ubi pax evenerat, curabant seque, rempublicamque. Quarum rerum ego habeo hæc maxuma documenta, quod in bello sæpius est vindicatum in eos, qui pugnaverant in hostem contra imperium, quique revocati excesserant prælio tardiùs, quàm *in eos* qui erant ausi relinquere signa, aut pulsi, cedere loco. In pace verò, agitabant imperium beneficiis, magis quàm metu; et, acceptâ injuriâ, malebant ignoscere, quàm persequi.

10. Sed ubi respublica crevit labore atque justitia; magni reges domiti bello; feræ nationes et ingentes populi subacti vi; Carthago, æmula Romani imperii interiit ab stirpe; cuncta maria terræque patebant: fortuna cœpit sævire ac miscere omnia. Qui facilè toleraverant labores, pericula, dubias atque asperas res, otium, divitiæ, optandæ aliis, fuere iis oneri miseriæque. Igitur cupido primò pecuniæ, dein imperii crevit. Ea fuere quasi materies omnium malorum. Namque avaritia subvertit fidem, probitatem, cæteraque bonas artis; pro his edocuit superbiam, crudelitatem, negligere deos, habere omnia venalia. Ambitio subegit multos mortalis fieri falsos; habere aliud clausum in pectore, aliud promptum in linguâ; æstumare amicitias inimitiasque non ex re, sed ex commodo; habereque magis *bonum* vultum, quàm bonum ingenium. Hæc primò *cæperunt* paullatim crescere, interdum vindicari. Post, ubi contagio, quasi pestilentia, invasit; civitas *est* immutata, imperium, ex justissumo atque optumo, *est* factum crudele intolerandumque.

11. Sed primo magis ambitio, quàm avaritia exercebat animos hominum, quod vitium tamen erat propius virtuti. Nam bonus, *et* ignavus æquè exoptant gloriam, honorem, imperium sibi. Sed ille nititur verâ viâ; quia bonæ artes desunt huic, contendit dolis atque fallaciis.

Avaritia

Avaritia habet ſtudium pecuniæ, quam nemo ſapiens concupivit. Ea, quaſi imbuta malis venenis, effeminat corpus virilemque animum : eſt ſemper infinita, inſatiabilis ; minuitur neque copiâ, neque inopiâ. Sed, poſtquam Lucius Sulla, receptâ republicâ armis, habuit malos eventus bonis initiis ; omnes *cœpere* rapere, trahere *ſibi*. Cupere alius domum, alius agros ; victores habere neque modum neque modeſtiam ; facere fœda crudeliaque facinora in civis. Accedebat huc, quòd Lucius Sulla, quo faceret exercitum, quem ductaverat in Aſiâ, fidum ſibi, contra morem majorum, habuerat *eum* luxurioſè nimiſque liberaliter.

Amœna loca, voluptaria facilè molliverant ferocis animos militum in otio. Ibi primum exercitus Romani populi inſuevit amare, potare ; mirari ſigna, pictas tabulas, cœlata vaſa ; rapere ea privatim ac publicè ; ſpoliare delubra ; polluere omnia ſacra profanaque. Igitur hi milites, poſtquam ſunt adepti victoriam, fecêre nihil reliqui victis. Quippe ſecundæ res fatigant animos ſapientium : ne illi, corruptis moribus, temperarent victoriæ.

12. Poſtquam divitiæ cœperunt eſſe honori, et gloria, imperium, potentia ſequebatur eas : virtus cœpit hebeſcere, paupertas haberi probro, innocentia duci pro malevolentiâ. Igitur ex divitiis, luxuria atque avaritia cum ſuperbiâ invaſere juventutem. *Cœpit* rapere, conſumere ; pendere ſua parvi, cupere aliena ; habere pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiſcua, nihil penſi neque moderati. Eſt pretium operæ, cùm cognoveris domos atque villas exædificatas in modum urbium, viſere templa deorum, quæ noſtri majores, religioſiſſumi mortales, fecere. Verùm illi decorabant delubra deorum pietate, ſuas domos gloriâ : neque eripiebant quidquam victis præter licentiam injuriæ. At hi contrà, ignaviſſumi homines, per ſummum ſcelus, *cœperunt* adimere omnia ea ſociis, quæ fortiſſumi viri victores reliquerunt hoſtibus : proinde quaſi id demum eſſet uti imperio, facere injuriam.

13. Nam

13. Nam quid memorem ea, quæ sunt credibilia nemini, nisi his, qui videre; montes esse subversos, maria constrata à compluribus privatis? Quibus divitiæ videntur mihi fuisse ludibrio; quippe properabant abuti *iis* per turpitudinem, quas licebat habere honestè. Sed non minor lubido stupri, ganeæ, cæterique cultûs incesserat. Viri *cæperunt* pati muliebria: mulieres habere pudicitiam in propatulo: exquirere omnia terrâ marique causâ vescendi: dormire priùs quàm esset cupido somni: non operiri famem aut sitim, neque frigus, neque lassitudinem, sed antecapere omnia ea luxu. Hæc incendebant juventutem ad facinora, ubi familiares opes defecerant. Animus, imbutus malis artibus, haud facilè carebat lubidinibus: eo profusius erat deditus quæstui atque sumptui omnibus modis.

14. In tantâ tamque corruptâ civitate, Catilina habebat catervas omnium flagitiosorum atque facinorosorum circum se, tanquam stipatorum, id quod erat facillumum factu. Nam quicunque impudicus, adulter, ganeo, penè laceraverat patria bona aleâ, manu, ventre, quique conflaverat grande alienum æs, quo redimeret flagitium aut facinus; præterea, omnes parricidæ undique, sacrilegi, convicti judiciis, aut timentes judicium pro factis; ad hoc, quos manus atque lingua alebat perjurio et civili sanguine; postremò omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat hi erant proxumi familiaresque Catilinæ. Quòd si quis etiam vacuus à culpa, inciderat in amicitiam ejus; quotidiano usu atque illecebris facilè efficiebatur par, similisque cæteris. Sed maxumè appetebat familiaritátes adolescentium. Eorum animi, molles et fluxi ætate, capiebantur haud difficulter dolis. Nam, uti studium cujusque flagrabat ex ætate, *voluit* præbere scorta aliis, mercari canes atque equos aliis: postremò parcere neque sumptui neque suæ modestiæ, dum faceret illos obnoxios fidosque sibi. Scio fuisse nonnullos, qui ita existumarent; juventutem, quæ frequentabat domum Catilinæ, habuisse pudicitiam parùm honestè.

Sed

Sed hæc fama valebat ex aliis rebus magis, quàm quòd id foret compertum cuiquam.

15. Jamprimùm Catilina, adolescens, fecerat multa nefanda stupra, cum nobili virgine, cum sacerdote Vestæ; et alia hujuscemodi contra jus fasque. Postremò, captus amore Aureliæ Orestillæ, cujus nihil unquam bonus laudavit præter formam, quòd ea dubitabat nubere illi, timens privignum adultum ætate; creditur pro certo, necato filio, feciſſe vacuam domum scelestis nuptiis. Quæ res quidem videtur mihi in primis fuiſſe causa maturandi facinoris. Namque impurus animus, infestus Diis hominibusque, poterat sedari neque vigiliis neque quietibus: conscientia ita vexabat excitam mentem. Igitur colos ei *erat* exsanguis, oculi fœdi; incessus modò citus, modò tardus; inerat prorsus vecordia in facie vultuque.

16. Sed edocebat juventutem, quam illexerat, ut diximus suprà, mala facinora multis modis, *cæpit* ex illis commodare falsos testis signatoresque; habere fidem, fortunas, pericula vilia. Post, ubi attriverat eorum famam atque pudorem, imperabat alia majora. Si causſa peccandi minùs suppetebat in præsens; *dotuit eos* circumvenire, jugulare nihilominus insontes, sicuti sontes. Scilicet, ne per otium manus aut animus torpescerent, erat potiùs malus atque crudelis gratuitò. Catalina, confisus his amicis sociisque, simul quòd alienum æs erat ingens per omnis terras, et quòd plerique Sullani milites, usi suo largius, memores rapinarum et veteris victoriæ, exoptabant civile bellum, cepit consilium opprimundæ reipublicæ. In Italiâ *erat* nullus exercitus: Cneus Pompeius gerebat bellum in extremis terris; erat ipsi magna spes petundi consulatum; senatus sanè intentus nihil; omnes res *erant* tutæ tranquillæque. Sed ea *erant* prorsus opportuna Catilinæ.

17. Igitur circiter Calendas Junii, Lucio Cæsare, et Caio Figulo Consulibus, primò *cæpit* appellare singulos; hortari alios, tentare alios; docere *eos* suas

ſuas opes, rempublicam imparatam, magnâ præmia conjurationis. Ubi *ea* ſunt ſatis explorata, quæ voluit; convocat omnis in unum *locum*, quibus *erat* maxuma neceſſitudo, et plurimum audaciæ inerat. Convenere eò ſenatorii ordinis, Publius Lentulus Sura, Publius Autronius, Lucius Caſſius Longinus, Caius Cethegus, Publius et Servius, filii Sullæ Servii, Lucius Vargunteius, Quintus Annius, Marcus Porcius Læeca, Lucius Beſtia, Quintus Curius: præterea, ex equeſtri ordine, Marcus Fulvius Nobilior, Lucius Statilius, Publius Gabinius Capito, Caius Cornelius; ad hoc, multi ex coloniis et municipiis nobiles domi. Erant præterea complures nobiles participes hujuſce conſilii paulò occultiùs; quos magis ſpes dominationis, quàm inopia, aut alia neceſſitudo hortabatur. Cæterùm, pleraque juventus, ſed maxumè nobilium, favebat incœptis Catilinæ. *Illi*, quibus erat copia vivere in otio vel magnificè vel molliter, malebant incerta pro certis, bellum, quàm pacem. Fuere item eâ tempeſtate, qui crederent Marcum Licinium Craſſum non fuiſſe ignarum ejus conſilii: quia Cneius Pompeius, inviſus ipſi, ducebat magnum exercitum, voluiſſe opes cujuſvis creviſſe contra potentiam illius: ſimul confiſum, ſi conjuratio valuiſſet, ſe facilè fore principem apud illos. Sed anteà item pauci conjuravere, in quibus *fuit* Catilina. De quo dicam, quàm veriſſume potero.

18. Lucio Tullo, Marco Lepido conſulibus, Publius Autronius et Publius Sulla, deſignati conſules, interrogati legibus ambitûs, dederant pœnas. Paulo poſt Catilina, reus pecuniarum repetundarum, erat prohibitus petere Conſulatum; quòd nequiverit profiteri intra legitimos dies. Erat, eodem tempore, Cneus Piſo, nobilis adoleſcens, ſummæ audaciæ, egens, factioſus; quem inopia atque mali mores ſtimulabant ad perturbandam rempublicam. Cùm hoc Catilina et Autronius, circiter nonas Decembris, conſilio communicato, parabant interficere Lucium Cottam, et Lucium Torquatum Conſules in Capitolio

tolio Calendis Januarii; ipsi, fascibus correptis, *statuere* mittere Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias. Ea re cognitâ, rursus transtulerunt consilium cædis in nonas Februarii. Jam tum machinabantur perniciem non modò consulibus, sed pleriſque senatoribus. Quòd ni Catilina maturasset dare signum sociis pro curiâ; eo die, postumum facinus, post urbem Romam conditam, foret patratum. Quia armati nondum convenerant frequentes; ea res diremit consilium.

19. Posteà Piso est missus quæstor pro prætore in citeriorem Hispaniam, Crasso adnitente; quòd cognoverat eum *esse* infestum Cneo Pompeio. Neque tamen senatus invitus dederat *ei* provinciam. Quippe volebat fœdum hominem abesse procul à republicâ: simul, quia complures boni putabant *esse* præsidium in eo, et jam tum potentia Cnei Pompeii erat formidolosa. Sed is Piso, faciens iter in provinciam, est occisus ab Hispanis equitibus, quos ductabat in exercitu. Sunt, qui ita dicant, barbaros nequivisse pati ejus injusta, superba, crudelia imperia. Autem alii *dicunt*, illos equites, veteres fidosque clientes Cneii Pompeii *fuisse* aggressos Pisonem ejus voluntate: præterea Hispanos numquam feciſſe tale facinus, sed anteà *fuisse* perpessos multa sæva imperia. Nos relinquimus eam rem in medio. Satis *est* dictum de superiori conjuratione.

20. Catilina, ubi videt eos, quos memoravi paulo ante, convenisse, tametsi sæpe egerat multa cum singulis, tamen credens fore in rem appellare et cohortari universos, secessit in abditam partem sedium, atque ibi, omnibus arbitris amotis procul, habuit orationem hujusce modi. Ni vestra virtus fidesque foret satis spectata mihi; res nequicquam cecidisset opportuna; magna spes, dominatio frustra fuissent in manibus: neque, per ignaviam aut vana ingenia, capessarem incerta pro certis. Sed, quia multis et magnis tempestatibus cognovi vos fortis fidosque mihi, ea animus est ausus incipere maximum atque pulcherri-

mum facinus, simul, quia intellexi eadem esse bona malaque vobis, quæ *sunt bona malaque* mihi. Nam velle idem, atque nolle idem, ea demum est firma amicitia. Sed *vos* omnes, jam antea divisi, audivistis *ea*, quæ ego agitavi mente. Cæterùm animus magis accenditur mihi indies, cùm considero, quæ conditio vitæ sit futura, nisi vindicamus nosmet ipsos in libertatem. Nam postquam respublica concessit in jus atque ditionem paucorum potentium; semper reges, tetrarchæ *solebant* esse vectigales illis; populi, nationes pendere stipendia; omnes cæteri, strenui, boni, nobiles, atque ignobiles, fuimus vulgus, sine gratiâ, sine auctoritate, obnoxii his, quibus essemus formidini, si respublica valeret. Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiæ sunt apud illos, aut ubi illi volunt: reliquerunt nobis pericula, repulsas, judicia, egestatem. Quæ quousque tandem patiemini, fortissumi viri? Nonne præstat emori per virtutem, quàm per dedecus amittere miseram atque inhonestam vitam, ubi fueris ludibrio alienæ superbiæ?

21. Verùm enimverò, proh fidem Deorum atque hominum! Est nobis victoria in manu: ætas viget, animus valet. Contra omnia consenuerunt illis, annis atque divitiis. Tantummodo est opus incœpto: res expediet cætera. Etenim quis mortalium, cui est virile ingenium, potest tolerare, divitias superare illis, quas profundant in exstruendo mari et coæquandis montibus; familiarem rem deesse nobis etiam ad necessaria? Illos continuare binas domos, aut amplius; nusquam esse nobis ullum familiarem larem? Cùm emunt tabulas, signa, toreumata, diruunt nova, ædificant alia: postremò, trahunt, vexant pecuniam omnibus modis: tamen nequeunt vincere suas divitias summâ lubidine. At est nobis inopia domi, alienum æs foris; res mala, spes multo asperior. Denique, quid habemus reliqui, præter miseram animam? Quin igitur expergiscimini? En *ea* illa, illa libertas, quàm sæpe optastis; præterea divitiæ, decus, gloria sunt sita in oculis. Fortuna

tuna posuit omnia ea præmia victoribus. Res, tempus, pericula, egestas, magnifica spolia belli magis, quàm mea oratio, hortentur vos. Utimini me vel imperatore vel milite. Neque animus, neque corpus aberit à vobis. *Ego* consul agam hæc ipsa, ut spero, unà vobiscum; nisi fortè animus fallit me, et vos estis parati magis servire, quàm imperare.

22. Postquam homines accepere ea, quibus *hominibus quidem* omnia erant abundè mala, sed neque res, neque ulla spes *erat* bona; tametsi videbatur illis magna merces movere quieta; tamen plerique *cæperunt* postulare, ut proponeret, quæ foret conditio belli, quæ præmia peterent armis; quid opis atque spei haberent ubique. Tum Catilina *cæpit* polliceri novas tabulas, proscriptionem locupletium, magistratus, sacerdotia, rapinas, omnia alia, quæ bellum aut lubidò victorum fert. Præterea Pisonem esse in citeriore Hispaniâ, Publium Sitium Nucerinum in Mauritaniâ cum exercitu, participes sui consilii. Caium Antonium, quem speraret fore collegam sibi, petere consulatum, hominem et familiarem, et circumventum omnibus necessitudinibus. Se consulem facturum initium agendi cum eo. Ad hoc, increpabat omnis bonos maledictis; nominans unumquemque suorum, *cæpit* laudare, admonere alium egestatis, alium suæ cupiditatis, complures periculi aut ignominiæ, multos Sullanæ victoriæ, quibus ea fuerat prædæ. Postquam videt animos omnium alacris; cohortatus ut haberent suam petitionem curæ, dimisit conventum.

23. Fuere eâ tempestate, qui dicerent, Catilinam, oratione habitâ, cùm adigeret populares sui sceleris ad jusjurandum, circum ora labris sanguinem humani corporis, permixtum vino, in pateris; inde, cùm post exsecrationem omnes degustavissent, sicuti consuevit fieri in solemnibus sacris, aperuisse suum consilium: atque dictitare *se* fecisse eo, quia forent magis fidi inter se, conscii alius alii tanti facinoris. Nonnulli existumabant et hæc et multa præterea ficta ab iis, qui credebant invidiam Ciceroni, quæ

poſtea eſt orta, leniri atrocitate ſceleris eorum, qui dederant pœnas. Ea res eſt parùm comperta nobis pro magnitudine.

24. Sed in eâ conjuratione fuit Quintus Curius, natus haud obſcuro loco, coopertus flagitiis atque facinoribus; quem cenſores moverant ſenatu gratiâ probri. Non minor vanitas, quam audacia inerat huic homini. Habebat quicquam penſi neque reticere quæ audierat, neque ipſe occultare ſuamet ſcelera; prorſus neque dicere, neque facere. Erat ei vetus conſuetudo ſtupri cum Fulviâ, nobili muliere. Cui cùm eſſet minùs gratus, quòd *ejus* inopia poterat largiri minus, repente glorians, *cœpit* polliceri maria montîſque; interdum minari ferro, ni *foret obnoxia* ſibi: poſtremò, agitare ferociùs quàm erat ſolitus. At Fulvia, cauſâ inſolentiæ Curii cognitâ, haud habuit tale periculum reipublicæ occultum; ſed, auctore ſublato, narravit compluribus quæ audiverat quo modo de conjuratione Catilinæ. Ea res in primis accendit ſtudia hominum ad mandandum Conſulatum Marco Tullio Ciceroni. Namque anteà pleraque nobilitas æſtuabat invidiâ, et credebat conſulatum quaſi pollui, ſi novus homo, quamvis egregius, foret adeptus eum. Sed ubi periculum advenit, invidia atque ſuperbia fuere poſt.

25. Igitur, comitiis habitis, Marcus Tullius et Caius Antonius declarantur Conſules. Quod factum primò concuſſerat populares conjurationis. Neque tamen furor Catilinæ minuebatur; ſed *cœpit* indies agitare plura; parare arma per Italiam opportunis locis; portare pecuniam, ſumptam mutuam ſuâ, aut fide amicorum, Fæſulas ad quendam Manlium; qui poſtea fuit princeps faciundi belli. Eâ tempeſtate dicitur adſciviſſe ſibi plurimos homines cujuſque generis, etiam aliquot mulieres, quæ primò toleraverant ingentes ſumptus ſtupro corporis; poſt, ubi ætas tantummodo fecit modum quæſtui, neque *animus* luxuriæ, conflaverant grande alienum æs. Catilina credebat ſe poſſe ſolicitare urbana ſervitia,

servitia, incendere urbem, vel adjungere sibi viros earum, vel interficere eos.

26. Sed in his erat Sempronia, quæ sæpe commiserat multa facinora virilis audaciæ. Hæc mulier fuit satis fortunata genere atque formâ, præterea viro atque liberis: docta Græcis et Latinis literis; potuit psallere, saltare elegantiùs, quàm est necesse probæ; multa alia, quæ sunt instrumenta luxuriæ. Sed omnia erant semper cariora ei, quàm decus atque pudicitia fuit. Haud facilè discerneres, an minus parceret pecuniæ an famæ. Sic accensa lubidine, ut peteret viros sæpiùs quàm peteretur: sed ea sæpe antehac prodiderat fidem, abjuraverat creditum, fuerat conscia cædis, abiverat præceps luxuriâ atque inopiâ. Verùm ejus ingenium erat haud absurdum. Posse facere versus; movere jocum; uti sermone, vel modesto, vel molli, vel procaci. Prorsus multæ facetiæ, multusque lepos inerat ei.

27. His rebus comparatis, Catilina nihilominus petebat consulatum in proxumum annum; sperans, si foret designatus, se facilè usurum Antonio ex suâ voluntate. Neque interea erat quietus, sed parabat insidias Ciceroni omnibus modis. Neque tamen dolus aut astutiæ decrant illi ad cavendum. Namque à principio sui consulatûs, effecerat multa per Fulviam pollicendo, ut Quintus Curius, de quo memoravi paulo antè, proderet consilia Catilinæ sibi. Ad hoc, perpulerat suum collegam Antonium pactione provinciæ, ne sentiret contra rempublicam: Circum se habebat præsidia amicorum atque clientium occultè. Postquam dies comitiorum venit, et neque petitio Catilinæ, neque insidiæ, quas fecerat consuli, cessere prosperè; constituit facere bellum, et experiri omnia extrema; quoniam, quæ tentaverat occultè, evenerant aspera fœdaque.

28. Igitur dimisit Caium Manlium Fæsulas, atque in eam partem Etruriæ, quemdam Septimium Camertem in Picenum agrum, Caium Julium in Apuliam; præterea dimisit alium aliò, quem credebat fore opportunum sibi. Interea conatur moliri multa

ſimul Romæ: tendere inſidias Conſuli. Parare incendia. Obſidere opportuna loca armatis hominibus. Ipſe eſſe cum telo, item jubere alios, hortari, uti eſſent ſemper intenti paratique. Feſtinare dies noctiſque. Vigilare, fatigari neque inſomniis neque labore. Poſtremò, ubi nihil procedit *illi* agitanti multa, rurſus, intempeſtâ nocte, convocat principes conjurationis, per Marcum Porcium Læccam, ibique queſtus multa de ignaviâ eorum, docet *eos*, ſe præmiſiſſe Manlium ad eam multitudinem, quam paraverat ad capiunda arma; item alios in alia opportuna loca, qui facerent initium belli; ſeque cupere proficiſci ad exercitum, ſi priùs oppreſſiſſet Ciceronem: eum multum officere ſuis conſiliis.

29. Igitur, cæteris perterritis ac dubitantibus, Caius Cornelius, Romanus eques, pollicitus ſuam operam, et cum eo Lucius Vargunteius Senator, conſtituere eâ nocte paulo pòſt, cum armatis hominibus, introire ad Ciceronem, ſicuti ſalutatum *eum*, et de improviſo confodere *eum* imperatum ſuæ domi. Curius, ubi intelligit, quantum periculum impendeat Conſuli, properè, per Fulviam, enunciat Ciceroni dolum, qui parabatur. Ita illi, prohibiti januâ, ſuſceperant tantum facinus fruſtra. Interea Manlius *cæpit* ſolicitare plebem in Etruriâ, cupidam novarum rerum, egeſtate ſimul ac dolore injuriæ, quòd, dominatione Sullæ, amiſerat agros, omniaque bona; præterea latrones cujuſque generis, quorum erat magna copia in eâ regione, nonnullos ex Sullanis colonis, quibus lubido atque luxuria fecerant nihil reliqui ex magnis rapinis.

30. Cùm ea nunciarentur Ciceroni, *ille*, permotus ancipiti malo, quòd neque poterat tueri urbem longiùs ab inſidiis privato conſilio, neque habebat ſatis compertum, quantus exercitus Manlii, aut quo conſilio foret, refert rem ad Senatum, jam anteà exagitatam rumoribus vulgi. Itaque Senatus decrevit, quod plerumque ſolet *fieri* in atroci negotio, ut Conſules darent operam, ne reſpublica caperet quid detrimenti. Ea maxuma poteſtas permittitur magiſtratui

ſtratui per Senatum, Romano more, parare exercitum, gerere bellum, coercere ſocios atque civis omnibus modis; habere ſummum imperium atque judicium domi militiæque. Aliter, eſt nulli conſuli jus earum rerum, ſine juſſu populi.

31. Poſt paucos dies Lucius Senius Senator recitavit literas in ſenatu, quas dicebat *fuiſſe* allatas ſibi Fæſulis à Quinto Fabio; in quibus erat ſcriptum, Caium Manlium cepiſſe arma, cum magnâ multitudine, ante ſextum diem Kalendarum Novembris. Simul, id quod ſolet *fieri* in tali re, alii nunciabant portenta atque prodigia: alii, conventus fieri, arma portari, ſervile bellum moveri Capuæ atque in Apuliâ. Igitur, decreto ſenati ſunt miſſi Quintus Marcius Rex Fæſulas, Quintus Metellus Creticus in Apuliam, circumque ea loca. Utrique hi imperatores erant impediti ad urbem, ne triumpharent, calumniâ paucorum, quibus erat mos vendere omnia honeſta atque inhoneſta. Sed Prætores *miſſi ſunt* Quintus Pompeius Rufus Capuam, Quintus Metellus Celer in Picenum agrum; hiſque *erat* permiſſum, uti compararent exercitum pro tempore atque periculo. Ad hoc, ſi quis indicaſſet de conjuratione, quæ erat facta contra rempublicam, præmium *futurum*, libertatem ſervo et centum ſeſtertia; libero impunitatem ejus rei, et bis centum ſeſtertia. Itemque decrevêre, utì gladiatoriæ familiæ diſtribuerentur *in* Capuam et in cætera municipia pro opibus cujuſque; *ut* Romæ, vigiliæ haberentur per totam urbem, minoreſque magiſtratus præeſſent eis.

32. Quibus rebus civitas erat permota, atque facies urbis immutata: ex ſummâ lætitiâ atque laſciviâ, quæ diuturna quies pepererat, repentè omnis triſtitia invaſit *eam*. *Cæperunt* feſtinare, trepidare, ſatis credere neque *cuiquam* loco, neque cuiquam homini; neque gerere bellum, neque habere pacem. Quiſque metiri pericula ſuo metu. Ad hoc, mulieres, quibus inſolitus timor belli inceſſerat pro magnitudine reipublicæ, afflictare ſeſe; tendere ſupplices

manus ad cœlum ; miserari parvos liberos ; rogitare, pavere omnia ; superbiâ atque deliciis omissis, diffidere sibi patriæque. At crudelis animus Catilinæ movebat illa eadem, tametsi præsidia parabantur, et ipse erat interrogatus Plautiâ lege ab Lucio Paulo. Postremò, venit in Senatum, caussâ dissimulandi, et quasi expurgandi sui, sicuti foret lacessitus jurgio. Tum Marcus Tullius Consul, sive timens ejus præsentiam, sive commotus irâ, habuit orationem luculentam, atque utilem reipublicæ, quam scriptam postea edidit. Sed ubi ille adsedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso vultu, supplici voce, *cœpit* postulare à patribus, ne crederent quid temerè de se : *se esse* ortum eâ familiâ, ita instituisse vitam ab adolescentiâ, ut haberet omnia bona in spe. Ne existumarent esse opus *sibi* Republicâ perditâ, sibi patricio homini, cujus ipsius *beneficia*, atque beneficia majorum in Romanam plebem essent plurima ; cùm Marcus Tullius, inquilinus civis urbis Romæ, servaret eam. Ad hoc, cùm adderet alia maledicta ; omnes *cœperunt* obstrepere ; vocare *eum* hostem atque parricidam. Tum ille furibundus : inquit, Quoniam quidem *ego* circumventus agor præceps ab inimicis, extinguam meum incendium ruinâ.

33. Dein proripuit se ex curiâ domum. Ibi ipse volvens multa secum, quòd neque insidiæ, *paratæ* consuli, procedebant, et intelligebat urbem *esse* munitam vigiliis, credens optumum factu augere exercitum, ac priùs, quàm legiones scriberentur, antecapere multa, quæ forent usui bello, intempestâ nocte, est profectus cum paucis in Manliana castra. Sed mandat Cethego atque Lentulo, cæteris que, quorum audaciam cognoverat *esse* promptam, *ut* confirment opes factionis, quibus rebus possent, maturent insidias consuli ; parent cædem, incendia, aliaque facinora belli : se se propediem accessurum ad urbem cum magno exercitu.

34. Dum hæc geruntur Romæ, Caius Manlius mittit, ex suo numero, legatos ad Quintum Marcium Regem,

Regem, cum mandatis hujuſcemodi: Teſtamur deos homineſque, Imperator, nos cepiſſe arma neque contra patriam, neque quo faceremus periculum aliis, ſed utì noſtra corpora forent tuta ab injuriâ; qui miſeri, egentes, violentiâ atque crudelitate fœneratorum, ſumus expertes, plerique patriâ, ſed omnes famâ atque fortunis. Neque licuit cuiquam noſtrûm uti lege, more majorum; neque habere corpus liberum, amiſſo patrimonio; tanta fuit ſævitia fœneratorum atque prætoris. Sæpe noſtri majores, miſeriti Romanæ plebis, ſunt opitulati ejus inopiæ ſuis decretis. Ac noviſſumè, noſtrâ memoriâ, propter magnitudinem alieni æris, argentum eſt ſolutum ære, omnibus bonis volentibus. Sæpe plebes ipſa, aut permota ſtudio dominandi, aut armata ſuperbiâ magiſtratuum, ſeceſſit à patribus. At nos non petimus imperium neque divitias; cauſſâ quarum rerum ſunt bella atque certamina inter mortalis; ſed *petimus* libertatem, quam nemo bonus amittit, niſi ſimul cum animâ. Obteſtamur te atque Senatum, *ut* conſulatis miſeris civibus; reſtituatis præſidium legis, quod iniquitas prætoris eripuit; neve imponatis eam neceſſitudinem nobis, ut quæramus, quonam modo pereamus, maxumè ulti noſtrum ſanguinem.

35. Quintus Marcius reſpondit ad hæc: Si vellent petere quid ab ſenatu, diſcedant ab armis, ſupplices proficiſcantur Romam. Senatum Romanumque populum ſemper fuiſſe eâ miſericordiâ atque manſuetudine, ut nemo unquam petiverit auxilium ab eo fruſtra. At Catilina mittit literas ex itinere pleriſque Conſularibus *viris*, præterea cuique optumo: *queſtus*, ſe, circumventum falſis criminibus, quoniam nequiverit reſiſtere factioni inimicorum, cedere fortunæ, proficiſci Maſſiliam in exilium: non quo eſſet conſcius ſibi tanti ſceleris, ſed utì reſpublica foret quieta, neve ſeditio oriretur ex ſuâ contentione. Quintus Catulus recitavit literas longè diverſas ab his in Senatu; quas dicebat *ſe* accepiſſe ditas ſibi nomine Catilinæ; exemplum earum ſcriptum infra.

36. Lu-

36. Lucius Catilina *mittit* ſalutem Quinto Catulo. Tua egregia fides, re cognitâ, grata mihi, tribuit fiduciam meæ commendationi, in meis magnis periculis. Quamobrem non ſtatui parare defenſionem in novo conſilio: decrevi proponere ſatisfactionem ex nullâ conſcientiâ de culpâ: quæ medius fidius licet cognoſcas mecum *eſſe* vera. Concitatus injuriis contumeliiſque, quòd, privatus fructu laboris, meæque induſtriæ, non obtinebam ſtatum dignitatis, ſuſcepi publicam cauſſam miſerorum pro meâ conſuetudine. Non quin poſſem ſolvere alienum æs *conflatum* meis nominibus ex poſſeſſionibus; cùm et liberalitas Aureliæ Oreſtillæ perſolveret *id conflatum* alienis nominibus ſuis *copiis, et* copiis filiæ. Sed quòd videbam homines, non dignos honore, honeſtatos, ſentiebamque me eſſe alienatum falſâ ſuſpicione; hoc nomine ſum ſecutus ſatis honeſtas ſpes, pro meo caſu, conſervandæ reliquæ dignitatis. Cùm vellem ſcribere plura, eſt nunciatum vim parari mihi. Nunc commendo Oreſtillam tibi, tradoque *eam* tuæ fidei. Rogatus per tuos liberos, defendas eam ab injuriâ. Haveto.

37. Sed ipſe, commoratus paucos dies apud Caium Flaminium in Reatino agro, dum exornat armis vicinitatem, ante ſolicitatam, contendit in caſtra ad Manlium cum faſcibus atque aliis inſignibus imperii. Ubi hæc ſunt comperta Romæ, Senatus judicat Catilinam et Manlium hoſtis; ſtatuit diem cæteræ multitudini, ante quam liceret diſcedere ab armis ſine fraude, præter condemnatis capitalium rerum. Præterea decernit, uti conſules habeant delectum; Caius Antonius maturet cum exercitu perſequi Catilinam; Cicero ſit præſidio urbi. Eâ tempeſtate imperium Romani populi eſt viſum mihi multo maxumè miſerabile; cui cùm omnia, ad occaſum ab ortu ſolis, domita armis parerent, otium atque divitiæ, quæ mortales putant prima, affluerent domi; tamen fuere cives, qui irent, obſtinatis animis, perditum ſeque rempublicamque. Namque, duobus decretis Senati, neque *unus* ex tantâ multitudine, inductus præmio,

præmio, patefecerat conjurationem, neque quiſquam omnium diſceſſerat ex caſtris Catilinæ. Tanta vis morbi, atque uti tabes, invaſerat pleroſque animos civium.

38. Neque erat illis ſolùm, qui fuerant conſcii conjurationis, aliena mens; ſed omninò cuncta plebes probabat incœpta Catilinæ, ſtudio novarum rerum. Adeò videbatur facere id ſuo more. Nam ſemper in civitate, *illi*, quibus ſunt nullæ opes, invident bonis, extollunt malos; odere vetera, exoptant nova; odio ſuarum rerum, ſtudent omnia mutari; turbâ atque ſeditionibus, aluntur ſine curâ, quoniam egeſtas facilè habetur ſine damno. Sed urbana plebes verò iverat præceps de multis cauſſis. Primùm omnium, qui ubique maxumè præſtabant probro atque petulantiâ; item alii, patrimoniis amiſſis per dedecora; poſtremò, omnes, quos flagitium aut facinus expulerat domo, hi confluxerant Romam, ſicuti in ſentinam. Dein multi, memores Sullanæ victoriæ, quòd ex gregariis militibus, videbant alios ſenatores; alios ita divites, ut agerent vitam regio victu atque cultu; quiſque ſperabat talia ſibi ex victoriâ, ſi foret in armis. Præterea juventus, quæ toleraverat inopiam in agris mercede manuum, excita privatis atque publicis largitionibus, prætulerat urbanum otium ingrato labori. Publicum malum alebat eos atque omnes alios. Quo eſt minùs mirandum, egentis homines, malis moribus, maxumâ ſpe, conſuluiſſe reipublicæ juxta ac ſibi. Præterea, *illi*, quorum parentes *erant* proſcripti, victoriâ Sullæ, bona erepta, *et* jus libertatis erat imminutum, haud ſanè alio animo expectabant eventum belli. Ad hoc, quicunque erant aliarum partium atque ſenati, malebant rempublicam conturbari, quam ipſi minùs valere. Id adeò malum reverterat in civitatem poſt multos annos.

39. Nam poſtquam, Cneio Pompeio et Marco Craſſo conſulibus, tribunitia poteſtas eſt reſtituta; adoleſcentes homines, nacti ſummam poteſtatem, quibus erat ætas feroxque animus, cœpere exagitare plebem,

plebem, criminando Senatum; dein incendere *eam* magis largiundo atque pollicitando; ita ipsi fieri clari potentesque. Contra eos pleraque nobilitas nitebatur summâ ope, pro suâ magnitudine sub specie Senati. Namque, uti absolvam verum paucis *verbis*, quicumque agitavere rempublicam per illa tempora, honestis nominibus, alii, sicuti defenderent jura populi, pars, quo auctoritas Senati foret maxuma, simulantes publicum bonum, certabant quisque pro suâ potentiâ; erat illis neque modestia, neque modus contentionis: utrique exercebant victoriam crudeliter.

40. Sed, postquam Cneus Pompeius est missus ad maritimum atque Mithridaticum bellum, opes plebis *sunt* imminutæ, potentia paucorum crevit. Hi *cæperunt* tenere magistratus, provincias, omniaque alia: ipsi innoxii, florentes, agere ætatem sine metu, terrereque cæteros judiciis, quo tractarent plebem placidiùs in magistratu. Sed ubi primùm spes est oblata novandis dubiis rebus, vetus certamen arrexit animos eorum. Quòd si Catilina discessisset primo prælio superior, aut æquâ manu; profectò magna clades atque calamitas oppressisset rempublicam: neque licuisset illis, qui forent adepti victoriam, uti eâ diutiùs; quin *ille*, qui posset plus, extorqueret imperium atque libertatem *aliis* defessis et exsanguibus. Tamen fuere complures extra conjurationem, qui sunt profecti ad Catilinam initio. In his erat Aulus Fulvius, filius senatoris; quem retractum ex itinere pater jussit necari. Iisdem temporibus Lentulus Romæ, sicuti Catilina præceperat, solicitabat, aut per se, aut per alios, quoscunque *homines* credebat idoneos moribus aut fortunâ novis rebus; neque solùm cives, sed genus hominum cujusquemodi, quod foret usui bello.

41. Igitur dat negotium cuidam Publio Umbreno, uti requirat legatos Allobrogum; impellatque eos, si possit, ad societatem belli; existumans *eos* oppressos publicè privatimque alieno ære, præterea, quòd Gallica gens esset bellicosa naturâ, posse facilè

facilè adduci ad tale consilium. Umbrenus, quòd erat negotiatus in Galliâ, erat notus plerisque principibus civitatum, atque noverat eos. Itaque, sine morâ, ubi primùm conspexit legatos in foro, percunctatus pauca de statu civitatis, et quasi dolens ejus casum, cœpit requirere; quem exitum sperarent tantis malis. Postquam videt illos queri de avaritiâ magistratuum, accusare Senatum, quòd esset nihil auxilii in eo; expectare mortem remedium suis miseriis; inquit. At ego ostendam rationem vobis, si modò vultis esse viri, qua effugiatis ista tanta mala. Ubi dixit hæc; Allobroges, adducti in maximam spem, *cæperunt* orare Umbrenum, uti misereretur sui. Esse nihil tam asperum neque tam difficile, quod non essent facturi cupidissumè, dum ea res liberaret civitatem alieno ære. Ille perducit eos in domum Decimi Bruti; quòd erat propinqua foro, neque aliena consilii, propter Semproniam. Nam tum Brutus aberat ab Româ. Præterea accersit Gabinium, quo major auctoritas inesset sermoni. Eo præsente, aperit conjurationem, nominat socios, præterea multos cujusque generis innoxios; quo esset amplior animus legatis: dein dimittit eos domum pollicitos suam operam.

42. Sed Allobroges habuere diu in incerto, quidnam consilii caperent. In alterâ parte erat alienum æs, studium belli, magna merces in spe victoriæ. At in alterâ majores opes, tuta consilia, pro incertâ spe certa præmia. Illis volventibus hæc, tandem fortuna reipublicæ vicit. Itaque aperiunt omnem rem, uti cognoverant, Quinto Fabio Sangæ, cujus patrocinio civitas plurimùm utebatur. Cicero, cognito consilio per Sangam, præcipit legatis, ut vehementer simulent studium conjurationis; adeant cæteros, polliceantur benè; dentque operam, ut habeant eos quàm maximè manifestos.

43. Ferè iisdem temporibus, erat motus in citeriore atque ulteriore Galliâ, item in Piceno agro, Bruttio, *et* Apuliâ. Namque illi, quos Catilina dimiserat antè *cæperunt* agere cuncta simul inconsultè, ac

ac veluti per dementiam: nocturnis consiliis, portationibus armorum atque telorum, festinando, agitando omnia, effecerant plus timoris, quàm periculi. Quintus Metellus Celer Prætor, causâ cognitâ, ex Consulto Senati, conjecerat complures ex eo numero in vincula; item, in citeriore Galliâ Caius Murena, qui præerat ei provinciæ *ut* legatus, *fecit idem.*

44. At Romæ, Lentulus cum cæteris, qui erant principes conjurationis, paratis magnis copiis, utì videbatur, constituerat, utì, cùm Catilina venisset in Fæsulanum agrum cum exercitu, Lucius Bestia, Tribunus plebis, concione habitâ, quereretur de actionibus Ciceronis, imponeretque invidiam gravissumi belli optumo consuli; eo signo, proxumâ nocte cætera multitudo conjurationis exsequeretur quisque suum negotium. Sed ea dicebantur *fuisse* divisa hoc modo. Utì Statilius et Gabinius, cum magnâ manu, simul incenderent duodecim opportuna loca urbis, quo tumultu fieret facilior aditus ad consulem cæterosque, quibus insidiæ parabantur. *Ut* Cethegus obsideret januam Ciceronis, aggredereturque eum vi, autem alius *aggrederetur* alium. Sed filii familiarum, quorum erat maxuma pars ex nobilitate, interficerent parentes; simul, omnibus perculsis cæde et incendio, erumperent ad Catilinam. Inter hæc parata atque decreta, Cethegus semper querebatur de ignaviâ sociorum: illos corrumpere magnas opportunitates dubitando et prolatando dies; esse opus facto, non consulto, in tali periculo: seque, si pauci adjuvarent, aliis languentibus, facturum impetum in curiam. Erat naturâ ferox, vehemens, promptus manu: putabat *esse* maxumum bonum in celeritate.

45. Sed Allobroges, ex præcepto Ciceronis, per Gabinium conveniunt cæteros: postulant jusjurandum ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio, quod perferant signatum ad civîs: aliter eos haud facile posse impelli ad tantum negotium. Cæteri, suspicantes nihil, dant. Cassius pollicetur, semet venturum

venturum eò brevi *tempore*, ac proficiſcitur ex urbe paullo ante legatos. Lentulus mittit Vitam Volturcium, quendam Crotonienſem cum his, uti Allobroges confirmarent ſocietatem cum Catilinâ, datâ atque acceptâ fide, priùs quàm pergerent domum. Ipſe dat Literas Volturcio ad Catilinam; quarum exemplum eſt ſcriptum infrà. Cognoſces, qui ſim, ex eo, quem miſi ad te. Fac, *ut* cogites, in quantâ calamitate ſis, et memineris te eſſe virum. Conſideres, quod tuæ rationes poſtulent. Petas auxilium ab omnibus, etiam ab infimis. Ad hoc, dat mandata verbis; quo conſilio repudiet ſervitia, cùm ſit judicatus hoſtis ab Senatu. *Ea* eſſe parata in urbe, quæ jufſerit. Ipſe ne cunctetur accedere propiùs.

46. His rebus ita actis, conſtitutâ nocte, quâ proficiſcerentur, Cicero, edoctus cuncta per legatos, imperat Lucio Valerio Flacco et Caio Pomptino prætoribus, uti deprehendant comitatus Allobrogum per inſidias in Mulvio ponte. Aperit omnem rem, cujus gratiâ mittebantur. Agant cætera ita, uti ſit opus facto. Militares homines, collocatis præſidiis ſine tumultu, ſicuti erat præceptum, obſident pontem occultè. Poſtquam legati venerunt cum Volturcio ad id loci, ſimul clamor eſt exortus utrimque. Galli, citò cognito conſilio, tradunt ſe prætoribus ſine morâ. Volturcius primò, cohortatus cæteros, defendit ſe à multitudine gladio; dein, ubi eſt deſertus à legatis, priùs obteſtatus Pomptinum multa de ſuâ ſalute, quòd erat notus ei; poſtremò timidus, ac diffidens vitæ, dedit ſeſe prætoribus velut hoſtibus.

47. Quibus rebus confectis, omnia propere declarantur Conſuli per nuncios. At ingens cura atque lætitia ſimul occupavêre illum. Lætabatur intelligens, conjuratione patefactâ, civitatem eſſe ereptam periculis: autem porro erat anxius, quid eſſet opus facto, tantis civibus deprehenſis in maximo ſcelere; credebat pœnam illorum *fore* oneri ſibi, impunitatem fore perdundæ reipublicæ. Igitur, confirma-

eo animo, jubet vocari ad sese Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, itemque Cæparium Terracinensem, qui parabat proficisci in Apuliam ad concitanda servitia. Cæteri veniunt sine morâ. Cæparius, egressus domo paullo antè, cognito indicio, profugerat ex urbe. Consul ipse, tenens Lentulum manu, quòd erat prætor, perducit *eum* in Senatum; jubet reliquos cum custodibus venire in ædem Concordiæ. Advocat Senatum eò, magnaque frequentia ejus ordinis introducit Volturcium cum legatis; jubet Flaccum prætorem adferre eodem scrinium cum literis, quas acceperat à legatis.

48. Volturcius, interrogatus de itinere, de literis, postremò, quid consilii habuisset, aut de qua causâ; *cæpit* primò fingere omnia alia, dissimulare de conjuratione; pòst, ubi est jussus dicere publicâ fide, aperit omnia, utì erant gesta, docetque se ascitum socium à Gabinio et Cæpario paucis diebus antè: scire nihil amplius, quàm legatos: tantummodò solitum audire ex Gabinio, Publium Autronium, Servium Sullam, Lucium Vergunteium, multos præterea esse in eâ conjuratione. Galli fatentur eadem. At coarguunt Lentulum dissimulantem, præter literas, sermonibus, quos ille erat solitus habere, ex Sibyllinis libris, regnum Romæ portendi tribus Cornelliis. Cinnam atque Sullam anteà, se esse tertium, cui foret fatum potiri urbis; præterea illum esse vigesimum annum, ab incenso Capitolio, quem sæpe haruspices respondissent ex prodigiis fore cruentum civili bello. Igitur perlectis literis, cùm priùs omnes cognovissent sua signa, senatus decrevit, utì, abdicato magistratu, Lentulus itemque cæteri habeantur in liberis custodiis. Itaque traduntur, Lentulus Publio Lentulo Spintheri, qui tum erat ædilis, Cethegus Quinto Cornificio, Statilius Caio Cæsari, Gabinius Marco Crasso, Cæparius (nam is paullo antè erat retractus ex fugâ) Cneo Terentio Senatori.

49. Interea, conjuratione patefactâ, plebes, quæ primò, cupida novarum rerum, nimis favebat bello, mutatâ

mutatâ mente, exsecrabat consilia Catilinæ; *cupere* tollere Ciceronem ad cœlum; velut erepta ex servitute agitabat gaudium atque lætitiam. Namque putabat alia facinora belli fore magis prædæ quam detrimento; verò incendium *esse* crudele, immoderatum, ac maxume calamitosum sibi; quippe cui omnes copiæ erant in quotidiano usu et cultu corporis. Post eum diem, quidam Lucius Tarquinius erat adductus ad senatum, quem, proficiscentem ad Catilinam, aiebant *fuisse* retractum ex itinere. Cùm is diceret se indicaturum de conjuratione, si publica fides esset data; jussus à Consule edicere, quæ sciret, edocet senatum eadem ferè, quæ Volturcius *narravit* de incendiis paratis, de cæde bonorum, de itinere hostium. Præterea, se *fuisse* missum à Marco Crasso, qui nunciaret Catilinæ; ne Lentulus et Cethegus, alique ex conjuratione deprehensi terrerent eum; eoque magis properaret accedere ad urbem, quo et reficeret animos cæterorum, et illi facilius eriperentur è periculo. Sed, ubi Tarquinius nominavit Crassum, nobilem hominem, maxumis divitiis, summa potentiâ; alii, rati rem *esse* incredibilem; pars, tamen si existumabat *esse* verum, tamen, quia, in tali tempore, tanta vis hominis videbatur magis leniunda, quàm exagitanda, plerique, obnoxii Crasso ex privatis negotiis, conclamant, indicem esse falsum; postulantque, uti referatur de eâ re. Itaque, Cicerone consulente, frequens senatus decernit, indicium Tarquinii videri falsum, eumque *esse* retinendum in vinculis; neque potestatem amplius *esse* faciundam *ei*, nisi indicaret de eo, cujus consilio esset mentitus tantam rem. Erant eo tempore, qui existumarent illud indicium *fuisse* machinatum à Publio Autronio; quo facilius, Crasso appellato, potentia illius tegeret reliquos per societatem periculi. Alii aiebant Tarquinium *fuisse* immissum à Cicerone; ne Crassus, suo more, suscepto patrocinio malorum, conturbaret rempublicam. Ego postea audivi Crassum ipsum prædicantem, illam tantam contumeliam *fuisse* impositam sibi ab Cicerone. Sed, iisdem temporibus,

poribus, Quintus Catulus et Cnæus Piſo, neque gratiâ, neque precibus, neque precio, quivêre impellere Ciceronem; utì Cæſar falſò nominaretur per Allobroges aut alium indicem. Nam uterque exercebant gravis inimicitias cum illo; Piſo, oppugnatus in judicio repetundarum, propter injuſtum ſupplicium cujuſdam Tranſpadani; Catulus incenſus odio ex petitione pontificatûs; quòd extremâ ætate, uſus maxumis honoribus, diſceſſerat victus ab adoleſcentulo Cæſare. Autem res videbatur opportuna, quòd is debebat grandem pecuniam, egregiâ liberalitate privatim, maxumis muneribus publicè. Sed ubi nequeunt impellere Conſulem ad tantum facinus, ipſi conflaverant magnam invidiam illi, circumeundo ſingillatim, atque ementiendo, quæ dicerent ſe audiviſſe ex Volturcio aut Allobrogibus; uſque adeò, utì nonnulli Romani equites, qui erant circum ædem Concordiæ cum telis cauſâ præſidii, impulſi, ſeu magnitudine periculi, ſeu nobilitate animi, quo ſuum ſtudium in rempublicam eſſet clarius, minitabantur Cæſari gladio egredienti ex ſenatu. Dum hæc aguntur in ſenatu, et dum præmia decernuntur legatis Allobrogum et Tito Volturcio, indicio eorum comprobato, liberti et pauci ex Clientibus Lentuli, diverſis itineribus, ſollicitabant opifices atque ſervitia in vicis ad eripiendum eum. Partim exquirebant duces multitudinum, qui erant ſoliti vexare rempublicam. Autem Cethegus, per nuncios, orabat familiam, atque ſuos libertos, lectos *homines* et exercitatos in audaciam; utì, grege facto, irrumperent ad ſeſe cum telis. Conſul, ubi cognovit ea parari, diſpoſitis præſidiis, utì res atque tempus monebat, convocato ſenatu, refert, quod placeat fieri de his, qui erant traditi in cuſtodiam. Sed paullo antè frequens ſenatus judicaverat eos feciſſe contra Rempublicam. Tum Decius Junius Silanus, primus rogatus ſententiam, quòd eo tempore erat deſignatus Conſul, decreverat ſupplicium *eſſe* ſumendum de his, qui tenebantur in cuſtodiis, et præterea de Lucio Caſſio, Publio Furio, Publio Umbreno, Quinto Annio,

nio, si forent deprehensi. Isque postea, permotus oratione Caii Cæsaris, dixerat se iturum pedibus in sententiam Tiberii Neronis; quod censuerat *esse* referundum de eâ re, præsidiis additis. Sed Cæsar, ubi est ventum ad eum, rogatus sententiam à Consule, est locutus verba hujuscemodi.

50. Conscripti patres, decet omnis homines qui consultant de dubiis rebus, esse vacuos ab odio, amicitiâ, irâ atque misericordiâ. Animus haud facilè providet verum, ubi illa officiunt: neque quisquam omnium paruit lubidini simul et usui. Ubi intenderis ingenium, valet. Si lubido possidet, ea dominatur; animus valet nihil. Conscripti patres, est mihi magna copia narrandi, qui reges, aut qui populi, impulsi irâ aut misericordiâ, consuluerint malè. Sed malo dicere ea, quæ nostri majores fecere rectè atque ordine, contra lubidinem sui animi. Macedonico bello, quod gessimus cum rege Perse, civitas Rhodiorum, magna atque magnifica, quæ creverat opibus Romani populi, fuit infida atque adversa nobis. Sed postquam, bello confecto, est consultum de Rhodiis, nostri majores dimisere eos impunitos, ne quis diceret bellum *fuisse* inceptum causâ divitiarum magis quàm injuriæ. Item omnibus Punicis bellis, cùm sæpe Carthaginenses fecissent multa nefanda facinora, et in pace et per inducias; ipsi nunquam fecere talia per occasionem, quærebant magis, quod foret dignum se, quàm quod posset fieri jure in illos. Item hoc est providendum vobis, Conscripti patres, ne scelus Publii Lentuli et ceterorum valeat plus apud vos, quàm vestra dignitas; neu consulatis vestræ iræ magis quam famæ. Nam si digna pœna pro factis eorum reperitur, approbo novum consilium. Sin magnitudo sceleris exsuperat ingenia omnium; censeo utendum *esse* iis, quæ sunt comparata legibus. Plerique eorum, qui dixerunt sententias ante me, sunt miserati casum reipublicæ compositè atque magnificè: enumeravere quæ sævitia belli esset, quæ acciderent victis à, virgines, pueros rapi; liberos divelli à complexu parentum;

tum; matres familiarum pati *ea*, quæ collibuissent victoribus; fana atque domos exspoliari; cædem, incendia fieri; postremò omnia compleri armis, cadaveribus, cruore atque luctu. Sed, per immortalis deos, quo illa oratio pertinuit? an, utì facerent vos infestos conjurationi? scilicet oratio accendet *eum*, quem tanta atque tam atrox res non permovit. Non est ita. Neque suæ injuriæ videntur parvæ cuiquam mortalium. Multi habuere eas graviùs æquo. Sed est aliis alia licentia, Conscripti patres. Qui demissi agunt vitam in obscuro, si deliquere quid iracundiâ, pauci sciunt; fama atque fortuna eorum sunt pares. Qui, præditi magno imperio, agunt ætatem in excelso, cuncti mortales novere facta eorum. Ita in maxuma fortunâ est minuma licentia. Decet neque studere, neque odisse, se minumè irasci. Quæ dicitur iracundia apud alios, ea appellatur superbia atque crudelitas in imperio. Equidem ego existumo sic, conscripti patres, omnis cruciatus esse minores, quàm facinora illorum. Sed plerique mortales meminere postrema; et, in impiis hominibus, obliti sceleris eorum differunt de pœnâ, si ea fuerit paullo severior. Certò scio Decium Silanum, fortem atque strenuum virum, dixisse *ea*, quæ dixerit, studio reipublicæ, neque illum exercere gratiam aut inimicitias in tantâ re. Cognovi eos mores, eamque modestiam viri. Verùm ejus sententia videtur mihi non crudelis, (enim quid potest fieri crudele in talis hominis?) sed aliena à nostrâ republicâ. Nam profectò aut metus aut injuria subegit te, Silane, designatum consulem, decernere novum genus pœnæ. Est supervacaneum disserere de timore; cùm sint tanta præsidia in armis, præsertim diligentiâ clarissumi viri consulis. De pœnâ, equidem possumus dicere id, quod res habet; in luctu atque miseriis, mortem esse requiem ærumnarum, non cruciatum; eam dissolvere cuncta mala mortalium; ultra *eam* esse locum neque curæ neque gaudio. Sed, per immortalis deos, quamobrem non addidisti in sententiam,

utì

utì priùs animadverteretur in eos verberibus? An, quia Porcia lex vetat? at item aliæ leges jubent, non animam eripi condemnatis civibus, ſed exilium permitti. An, quia eſt gravius verberari, quàm necari? Autem quid eſt acerbum, aut nimis grave in homines convictos tanti facinoris? Sin, quia eſt levius; quî convenit obſervare legem in minore negotio, cùm neglexeris eam in majore? At enim quis reprehendet, quod erit decretum in parricidas reipublicæ. Tempus, dies, fortuna, cujus lubido moderatur gentibus. Accidet meritò illis, quicquid evenerit. Cæterùm vos, conſcripti patres, conſiderate, quid ſtatuatis in alios. Omnia mala exempla ſunt orta ex bonis initiis. Sed, ubi imperium pervenit ad ignaros aut minùs bonos; illud novum exemplum transfertur ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos.

51. Lacedæmonii, devictis Athenienſibus, impoſuere triginta viros, qui tractarent rempublicam. Hi primò cœpere necare quemque peſſumum, et inviſum omnibus, indemnatum. Eo populus *cæpit* lætari, et dicere, fieri meritò. Poſt, ubi paullatim licentia crevit; *cæpit* interficere juxtà bonos et malos lubidinoſè, terrere cæteros metu. Ita civitas, oppreſſa ſervitute, dedit gravîs pœnas ſtultæ lætitiæ. Noſtrâ memoriâ, victor Sulla, cùm juſſit Damaſippum jugulari, et alios hujuſmodi, qui creverant malo reipublicæ, quis non laudabat ejus factum? Aiebant, ſceleſtos et factioſos homines, qui exagitaverant rempublicam ſeditionibus, meritò *eſſe* necatos. Sed ea res fuit initium magnæ cladis. Namque, uti quiſque concupiverat domum aut villam, poſtremò aut vas aut veſtimentum alicujus, dabat operam, utì is eſſet in numero proſcriptorum. Ita illi ipſi, quibus mors Damaſippi fuerat lætitiæ, paullo pòſt trahebantur. Neque fuit finis jugulandi, priùſquàm Sulla explevit omnîs ſuos divitiis. Atque ego non vereor hoc in Marco Tullio, neque his temporibus. Sed, in magnâ civitate, ſunt multa et varia ingenia.

ingenia. Alio tempore, alio consule, cui item sit exercitus in manu, aliquid falsum potest credi pro vero. Ubi, hoc exemplo, per decretum senati, consul eduxerit gladium; quis statuet finem illi, aut quis moderabitur ei?

52. Conscripti Patres, nostri majores egere unquam neque consilii, neque audaciæ. Neque superbia obstabat, quo minus imitarentur aliena instituta, si modò erant proba. Sumpserunt arma atque militaria tela ab Samnitibus, pleraque insignia magistratuum ab Tuscis. Postremò quod videbatur idoneum ubique apud socios aut hostis, exsequebantur *hoc* cum summo studio domi. Malebant imitari, quàm invidere bonis. Sed, illo eodem tempore, imitati morem Græciæ, animadvertebant in civis verberibus, sumebant summum supplicium de condemnatis. Postquam respublica adolevit, et factiones valuere multitudine civium, innocentes cœpere circumveniri, alia hujuscemodi fieri; tunc Porcia lex, aliæque leges sunt paratæ; quibus legibus exilium est permissum damnatis. Conscripti patres, ego puto hanc causam *esse* magnam in primis, quo minus capiamus novum consilium. Profectò fuit major virtus atque sapientia in illis, qui fecere tantum imperium ex parvis opibus, quàm in nobis, qui vix retinemus bene parta. Placet igitur, eos dimitti, et exercitum Catilinæ augeri? Minume. Sed censeo ita, eorum pecunias *esse* publicandas: ipsos habendos in vinculis per municipia, quæ maxumè valent opibus; neu quis referat de his postea ad Senatum, neve agat cum populo. Qui fecerit aliter, Senatum existumare, eum facturum contra rempublicam, et salutem omnium.

53. Postquam Cæsar fecit finem dicendi; cæteri assentiebantur verbo, alius alii variè. At Marcus Porcius Cato, rogatus sententiam, habuit orationem hujuscemodi.

54. Est mihi longè alia mens, Conscripti Patres, cùm considero res atque nostra pericula, et cùm ipse

ipſe reputo mecum ſententias nonnullorum. Illi videntur mihi diſſeruiſſe de pœnâ eorum, qui paravere bellum patriæ, parentibus, aris atque ſuis ſocis. Autem res monet, magis cavere ab illis, quàm conſultare quid ſtatuamus in illos. Nam tum perſequare cætera maleficia, ubi ſunt facta; niſi provideris, ne hoc accidat, ubi evenit, fruſtra implores judicia. Urbe captâ, ſit nihil reliqui victis. Sed, per immortalîs deos, ego appello vos, qui ſemper feciſtis domos, villas, ſigna, veſtras tabulas pluris, quàm rempublicam. Si *vultis* retinere iſta, cujuſcumque modi ſint, quæ amplexamini, ſi vultis præbere otium veſtris voluptatibus; expergiſcimini aliquando, et capeſſite rempublicam. Non agitur de vectigalibus, non de injuriis ſociorum. Libertas et noſtra anima eſt in dubio. Sæpenumerò, conſcripti patres, feci multa verba in hoc ordine. Sæpe ſum queſtus de luxuriâ atque avaritiâ noſtrorum civium. Habeoque multos mortalîs adverſos *mihi* eâ cauſſâ. *Ego*, qui feciſſem gratiam nullius delicti umquam meo animo, haud facilè condonabam malefacta lubidini alterius. Sed, tametſi vos pendebatis ea parvi, tamen reſpublica erat firma. Opulentia tolerabat neglegentiam. Nunc verò id non agitur, vivamuſne bonis an malis moribus; neque quantum aut quàm magnificum imperium Romani populi ſit; ſed *an* hæc, cujuſcunque modi videntur, ſint futura noſtra, an hoſtium unà nobiſcum.

55. Quiſquam hìc nominat manſuetudinem et miſericordiam mihi? Jampridem equidem nos amiſimus vera vocabula rerum. Quia largiri aliena bona *vocatur* liberalitas; audacia malarum rerum vocatur fortitudo; eo reſpublica eſt ſita in extremo. Sint ſanè liberales ex fortunis ſociorum, quoniam ita mores habent ſe. Sint miſericordes in furibus ærarii. Ne largiantur noſtrum ſanguinem illis; et, dum parcunt paucis ſceleratis, eant perditum omnîs bonos. Caius Cæſar diſſeruit benè et compoſitè, paullo antè, in hoc ordine, de vitâ et morte,

morte, credo, existumans ea *esse* falsa, quæ memorantur de inferis; malos habere tetra, inculta, fœda atque formidolosa loca diverso itinere à bonis. Itaque censuit, pecunias eorum *esse* publicandas, ipsos habendos in custodiis per municipia; videlicet, ne, si sint Romæ, eripiantur per vim, aut à popularibus conjurationis, aut à multitudine conductâ. Quasi verò mali atque scelesti sint tantummodò in urbe, et non per totam Italiam; aut audacia non possit plus ibi, ubi sunt minores opes ad defendendum. Quare hoc consilium est equidem vanum, si vetuit periculum ex illis. Sin, in tanto metu omnium, *ille* solus non timet; eo magis refert, me timere mihi atque vobis.

56. Quare cùm statuetis de Publio Lentulo cæterisque, habetote pro certo, vos simul decernere de exercitu Catilinæ, et de omnibus conjuratis. Quanto attentiùs vos agetis ea, tanto animus erit infirmior illis. Si viderint vos languere paullulum modò, jam omnes aderunt feroces. Nolite existimare nostros majores fecisse rempublicam magnam ex parvâ armis. Si res esset ita; nos haberemus eam multo pulcerrumam. Quippe est nobis major copia sociorum atque civium, præterea armorum atque equorum, quàm *fuit* illis. Sed fuere alia, quæ fecere illos magnos, quæ nulla sunt nobis. Industria domi, justum imperium foris; animus liber in consulendo, obnoxius neque delicto neque lubidini. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, egestatem publicè, opulentiam privatim. Laudamus divitias, sequimur inertiam. *Est* nullum discrimen inter bonos et malos. Ambitio possidet omnia præmia virtutis. Neque *est* mirum; ubi vos capitis quisque consilium sibi separatim, ubi servitis voluptatibus domi, hìc pecuniæ aut gratiæ; eo fit, ut impetus fiat in vacuam rempublicam. Sed ego omitto hæc. Nobilissumi cives conjuravere incendere patriam; arcessunt gentem Gallorum, infestissumam Romano nomini, ad bellum. Dux hostium cum

exercitu

exercitu est supra caput. Vos cunctamini etiam nunc, et dubitatis, quid faciatis, hostibus deprehensis intra mœnia? misereamini, censeo. Adolescentuli homines deliquere per ambitionem. Atque dimittatis *eos* etiam armatos. Næ ista mansuetudo et misericordia vertet in miseriam vobis, si illi ceperint arma. Scilicet res ipsa est aspera, sed vos non timetis eam. Imò verò maxumè. Sed, inertiâ, et mollitiâ animi, cunctamini, expectantes alius alium; videlicet confisi immortalibus diis, qui sæpe servavere hanc rempublicam in maxumis periculis. Auxilia deorum parantur non votis, neque mulieribus suppliciis. Omnia cedunt prosperè vigilando, agendo, consulendo benè. Ubi tradideris tete socordiæ atque ignaviæ, nequicquam implores deos. Sunt irati infestique. Apud nostros majores Aulus Manlius Torquatus, Gallico bello, jussit suum filium necari, quòd is pugnaverat in hostem contra imperium. Atque ille egregius adolescens dedit pœnas immoderatæ fortitudinis morte. Vos cunctamini, quid statuatis? videlicet cætera vita eorum obstat huic sceleri. Verùm parcite dignitati Lentuli; si ipse *pepercit* suæ pudicitiæ, si *pepercit* suæ famæ, si umquam pepercit ullis diis aut hominibus. Ignoscite adolescentiæ Cethegi, nisi jam iterum fecit bellum patriæ. Nam quid ego loquar de Gabinio, Statilio, Cœpario? Quibus si umquam fuisset quidquam pensi, non habuissent ea consilia de republicâ. Postremò, conscripti patres, si mehercle esset locus peccato, facilè paterer vos corrigi re ipsâ; quoniam contemnitis verba. Sed sumus circumventi undique. Catilina, cum exercitu, urget in faucibus. Alii hostes sunt intra mœnia atque in sinu urbis. Quidquam potest neque parari neque consuli occultè; quo est magis properandum. Quare ego ita censeo: Cùm respublica venerit in maxuma pericula nefario consilio sceleratorum civium, hique sint convicti indicio Titi Volturcii et legatorum Allobrogum, confessique paraviſſe cædem, incendia,

aliaque fœda atque crudelia facinora in civîs patriamque; *censeo*, *inquam*, ſupplicium *eſſe* ſumendum more majorum de *iis* confeſſis, ſicuti de manifeſtis capitalium rerum.

57. Poſtquam Cato aſſedit; omnes conſulares *viri*, itemque magna pars Senati, laudant ejus ſententiam, ferunt virtutem animi ad cœlum. Alii, increpantes alios, vocant *eos* timidos. Cato habetur clarus atque magnus. Decretum ſenati fit, ſicut ille cenſuerat. Sed fortè lubuit mihi, legenti multa, audienti multa præclara facinora, quæ Romanus populus fecit domi militiæque, mari atque terrâ, attendere, quæ res maxumè ſuſtinuiſſet tanta negotia. Sciebam *eum* ſæpenumero contendiſſe parvâ manu *militum* cum magnis legionibus hoſtium. Cognoveram bella geſta cum opulentis regibus parvis copiis: ad hoc, ſæpe toleraviſſe violentiam fortunæ; Græcos fuiſſe ante Romanos facundiâ, Gallos gloriâ belli. Ac conſtabat mihi, agitanti multa, egregiam virtutem paucorum civium patraviſſe cuncta; eoque *eſt* factum, utì paupertas *ſuperaret* divitias, paucitas ſuperaret multitudinem. Sed poſtquam civitas eſt corrupta luxu atque deſidiâ; rurſus reſpublica ſuſtentabat vitia imperatorum atque magiſtratuum ſuâ magnitudine; ac, veluti effœta parente, multis tempeſtatibus, haud fuit ſanè quiſquam Romæ magnus virtute. Sed, meâ memoriâ, fuere duo viri, Marcus Cato, et Caius Cæſar, ingenti virtute, diverſis moribus; quos, quoniam res obtulerat, non fuit conſilium præterire ſilentio; quin aperirem naturam et mores utriuſque, quantum poſſem ingenio. Igitur his, genus, ætas, eloquentia fuere propè æqualia. Magnitudo animi *erat* par, item gloria; ſed alia *gloria erat* alii. Cæſar habebatur magnus beneficiis ac munificentiâ; Cato integritate vitæ. Ille *fuerat* clarus manſuetudine et miſericordiâ; ſeveritas addiderat dignitatem huic. Cæſar eſt adeptus gloriam dando, ſublevando, ignoſcendo; Cato, largiundo nihil. In altero *eſt* perfu-

fugium miſeris; in altero pernicies malis. Facilitas illius, conſtantia hujus laudabatur. Poſtremo Cæſar induxerat in animum laborare, vigilare; *eſſe* intentus negotiis amicorum, negligere ſua; denegare nihil, quod eſſet dignum dono; exoptabat magnum imperium, exercitum, novum bellum ſibi, ubi virtus poſſet eniteſcere. At erat Catoni ſtudium modeſtiæ, decoris; ſed maxumè ſeveritatis. Certabat, non divitiis cum divite, neque factione cum factioſo; ſed virtute cum ſtrenuo, pudore cum modeſto, abſtinentiâ cum innocente. Malebat eſſe, quàm viderè bonus. Ita, quo minus petebat gloriam, eo magis aſſequebatur illum.

58. Poſtquam, utì dixi, ſenatus diſceſſit in ſententiam Catonis; Conſul, ratus *eſſe* optumum factu antecapere noctem, quæ inſtabat, ne quid novaretur eo ſpatio, jube Triumviros parare *ea*, quæ ſupplicium poſtulabat. Ipſe, præſidiis diſpoſitis, deducit Lentulum in carcerem. Idem fit cæteris per prætores. Eſt, in carcere, locus, quod appellatur Tullianum, ubi aſcenderis paullulum ad lævam, depreſſus humi circiter duodecim pedes. Parietes muniunt eum *locum* undique, atque, inſuper, camera vincta lapideis fornicibus; ſed fœda inculţu, tenebris, odore, atque ejus facies terribilis. Poſtquam Lentulus eſt demiſſus in eum locum, vindices capitalium rerum, quibus erat præceptum, fregere *ejus* gulam laqueo. Ita ille patricius, ex clariſſima gente Corneliorum, qui habuerat conſulare imperium Romæ; invenit exitum vitæ dignum ſuis moribus factiſque. Eodem modo, ſupplicium eſt ſumptum de Cethego, Statilio, Gabinio, *et* Cœpario.

59. Dum ea geruntur Romæ, Catilina inſtituit duas legiones ex omni copiâ, quam ipſe adduxerat et Manlius habuerat, *et* complet cohortes pro numero militum. Dein, utì quiſque voluntarius, aut ex ſociis, venerat in caſtra, diſtribuerat *eos* æqualiter; ac, brevi ſpatio, expleverat legiones numero hominum; cùm initio non habuiſſet amplius duobus millibus. Sed, ex omni copiâ, circiter quarta pars

erat instructa militaribus armis. Cæteri, ut casus armaverat quemque, portabant sparos aut lanceas, alii præacutas sudes. Sed postquam Antonius adventabat cum exercitu, Catilina statuit facere iter per montis: movere castra modò ad urbem, modò in Galliam versus; non dare hostibus occasionem pugnandi. Sperabat se propediem habiturum magnas copias, si, Romæ, socii patraviſſent incepta. Interea repudiabat servitia, cujus magnæ copiæ concurrebant ad eum initio, fretus opibus conjurationis; simul existumans alienum suis rationibus, videri communicaviſſe cauſſam civium cum fugitivis servis. Sed postquam nuncius pervenit in castra, conjurationem *esse* patefactam Romæ, *et* supplicium sumptum de Lentulo, et Cethego, cæterisque, quos memoravi supra, plerique dilabuntur, quos spes rapinarum, aut studium novarum rerum illexerat ad bellum. Catilina abducit reliquos per asperos montes magnis itineribus in Pistoriensem agrum; eo consilio, uti profugeret occultè per tramites in Transalpinam Galliam. At Quintus Metellus Celer cum tribus legionibus præsidebat in Piceno agro; existumans Catilinam agitare illa eadem, quæ diximus suprà, ex difficultate rerum. Igitur ubi cognovit ejus iter ex perfugis, movit castra properè, ac consedit sub ipsis radicibus montium, qua erat descensus illi properanti in Galliam. Neque tamen Antonius aberat longè; utpote qui, magno exercitu, sequeretur *eos* expeditos in fugam æquioribus locis. Sed Catilina, postquam videt sese clausum montibus atque copiis hostium, adversas res in urbe, *esse* ullam spem neque fugæ neque præsidii, ratus *esse* optumum factu, in tali re, tentare fortunam belli, statuit confligere quàm primùm cum Antonio. Itaque, concione advocatâ, habuit orationem hujuscemodi.

60. Milites, ego habeo compertum, verba non addere virtutem viris; exercitum fieri neque strenuum ex ignavo, neque fortem ex timido oratione imperatoris. Quanta audacia inest animo cujusque

naturâ

naturâ aut moribus, tanta ſolet patere in bello. Nequicquam hortere *eum*, quem neque gloria, neque pericula excitant. Timor animi officit auribus. Sed ego advocavi vos, quò monerem pauca; ſimul utì aperirem cauſſam mei conſilii. Scitis equidem, milites, quantam cladem, ſocordia atque ignavia Lentuli adtulerit ipſi nobiſque; quoque modo, dum opperior præſidia ex urbe, nequiverim proficiſci in Galliam. Nunc verò omnes intelligitis juxta mecum, in quo loco noſtræ res ſint.

61. Duo exercitus hoſtium obſtant, unus ab urbe, alter à Galliâ. Egeſtas frumenti atque aliarum rerum prohibet, *nos* eſſe diutiùs in his locis, ſi animus maxumè ferat. Quocumque placet ire, iter eſt aperiundum ferro. Quapropter moneo vos, utì ſitis forti atque parato animo; et, cùm inibitis prœlium, memineritis, vos portare divitias, decus, gloriam, præterea libertatem, atque patriam in veſtris dextris. Si vincimus, omnia erunt tuta nobis; commeatus abundè, municipia atque coloniæ patebunt. Sin ceſſerimus metu, illa eadem fient advorſa; neque locus, neque quiſquam amicus teget *eum*, quem arma non texerint. Præterea, milites, eadem neceſſitudo non impendet nobis et illis. Nos certamus pro patriâ, pro libertate, pro vitâ. Eſt ſupervacaneum illis pugnare pro potentia paucorum, quo aggredimini audaciùs, memores priſtinæ virtutis. Licuit nobis agere ætatem cum ſummâ turpitudine in exſilio. Nonnulli *veſtrûm* potuiſtis expectare alias opes Romæ, amiſſis bonis. Quia illa videbantur fœda atque intoleranda viris, decreviſtis ſequi hæc. Si vultis relinquere hæc, eſt opus audaciâ. Nemo, niſi victor, mutavit bellum pace. Nam ſperare ſalutem in fugâ, cùm averteris arma, quîs corpus tegitur, ab hoſtibus, ea verò eſt dementia. Eſt ſemper maxumum periculum in prælio iis, qui maxumè timent. Audacia habetur pro muro. Cùm conſidero vos, milites, et cùm æſtumo veſtra facta, magna ſpes victoriæ tenet me. Animus, ætas, veſtra virtus, hortantur me; præterea neceſſitudo, quæ fa-

cit etiam timidos fortîs. Nam anguſtiæ loci prohibent, ne multitudo hoſtium queat circumvenire *nos*. Quòd ſi fortuna inviderit veſtræ virtuti, cavete, ne amittatis vitam inulti; neve capti potiùs trucidemini, ſicuti pecora, quàm pugnantes more virorum, relinquatis cruentam atque luctuoſam victoriam hoſtium.

62. Ubi dixit hæc, commoratus paullulum, jubet canere ſigna; atque deducit inſtructos ordines in æquum locum. Dein, remotis equis omnium, quo eſſet amplior animus militibus, exæquato periculo, ipſe pedes, inſtruit exercitum pro loco atque copiis. Nam, utì erat planities inter ſiniſtros montîs, et aſpera rupes ab dexterâ, conſtituit octo cohortes in fronte: collocat reliqua ſigna arctiùs in ſubſidiis. Ab his ſubducit omnîs centuriones, et evocatos, præterea quemque optumum armatum ex gregariis militibus in primam aciem. Jubet Caium Manlium curare in dextrâ, quemdam Fæſulanum in ſiniſtrâ parte. Ipſe, cum libertis et colonis, adſiſtit propter Aquilam, quam Caius Marius dicebatur habuiſſe in exercitu Cimbrico bello. At, ex alterâ parte, Caius Antonius, æger pedibus, quòd nequibat adeſſe prælio, permittit exercitum Marco Petreio legato. Ille *locat* veteranas cohortîs, quas conſcripſerat cauſſâ tumulti, in fronte; poſt eas, locat cæterum exercitum in ſubſidiis. Ipſe, circumiens equo, nominans unumquemque, appellat, hortatur, rogat, utì meminerint ſe certare contra inermîs latrones, pro patriâ, pro liberis, pro aris atque ſuis focis. *Ipſe*, militaris homo, quòd, ampliùs quàm triginta annos, fuerat tribunus aut præfectus, aut legatus, aut prætor, in exercitu cum magnâ gloriâ, noverat pleroſque ipſos, fortiaque facta eorum, commemorando ea, accendebat animos militum.

63. Sed ubi, omnibus rebus exploratis, Petreius dat ſignum tubâ, jubet cohortîs incedere paullatim. Exercitus hoſtium fecit idem. Poſtquam eſt ventum eò, unde prælium poſſet committi à ferentariis; concurrunt infeſtis ſignis maxumo clamore; omittunt pila;

pila ; res geritur gladiis. Veterani, memores priſtinæ virtutis, *cœpere* inſtare acriter cominus ; illi, haud timidi, reſiſtunt. Certatur maxumâ vi. Interea Catilina *cœpit* verſari cum expeditis in primâ acie ; ſuccurrere laborantibus ; accerſere integros pro ſauciis ; providere omnia ; ipſe pugnare multum, ſæpe ferire hoſtem. Exſequebatur ſimul officia ſtrenui militis et boni imperatoris. Petreius, ubi videt Catilinam, contrà ac erat ratus, tendere magnâ vi, inducit prætoriam cohortem in medios hoſtîs ; interficitque eos perturbatos, atque alios alibi reſiſtentîs. Deinde aggreditur cæteros ex lateribus utrimque. Manlius et Fæſulanus pugnantes in primis cadunt. Poſtquam Catilina videt *ſuas* copias fuſas, ſeque relictum cum paucis, memor generis, atque ſuæ priſtinæ dignitatis, incurrit in confertiſſumos hoſtîs, ibique pugnans confoditur.

64. Sed, prælio confecto, tum verò cerneres, quanta audacia, quanta vis animi fuiſſet in exercitu Catilinæ. Nam ferè, quem locum quiſque vivus ceperat pugnando, tegebat eum corpore, amiſſâ animâ. Autem pauci, quos medios prætoria cohors disjecerat, conciderant paullo diverſiùs, ſed tamen omnes adverſis vulneribus. Verò Catilina eſt repertus longè à ſuis inter cadavera hoſtium, etiam ſpirans paullulum ; retinenſque in vultu ferociam animi, quam habuerat vivus. Poſtremò, ex omni copiâ, neque in prœlio, neque in fugâ, quiſquam ingenuus civis eſt captus. Ita cuncti pepercerant juxtà ſuæ, vitæque hoſtium. Tamen neque exercitus Romani populi erat adeptus lætam, aut incruentam victoriam. Nam quiſque ſtrenuiſſimus aut occiderat in prœlio, aut diſceſſerat graviter vulneratus. Autem multi, qui proceſſerant è caſtris gratiâ viſundi aut ſpoliandi, volventes hoſtilia cadavera, reperiebant alii amicum, pars hoſpitem, aut cognatum. Fuere item, qui cognoſcerent ſuos inimicos. Ita lætitia, mœror, luctus, atque gaudia agitabantur variè per totum exercitum.

FINIS.

BRITISH MUSEUM
30
APR
78